



PETAVI
DOCTRIN
TEMPOR

TOM . I.

CE11
P47
V.1
c.1

62139

011946



EX LIBRIS
HEMETHERII VALVERDE TELLEZ
Episcopi Leonensis



1080023758

DIONYSII
PETAVII
OPUS
DE
DOCTRINA
TEMPORUM,
IN TRES TOMOS
DISTRIBUTUM,
Cum multis Additionibus ipsius Auctoris.

DIONYSII
PETAVII

AURELIANENSIS,

E SOCIETATE JESU,

O P U S

DE

DOCTRINA
TEMPORUM:

AUCTIUS IN HAC

NOVA EDITIONE

Notis & Emendationibus quamplurimis, quas manu sua Codici adscriperat

DIONYSIUS PETAVIUS.

Cum Præfatione & Dissertatione de LXX. Hebdomadibus

JOANNIS HARDUINI, S. J. P.

TOMUS PRIMUS.



ANTWERPIÆ,

Apud **GEORGIUM GALLET.**

M. DCCIII.



62139

CE II
D 47
V 1

DIONYSII
PETAVII
AURELIANENSIS
OPUS
DOCTRINA
TEMPORUM
NOVA EDITIONE
DIONYSII PETAVII
JOANNIS HARDUINI S.P.
TOMUS PRIMUS



FONDO EMETERIO
VALVERDE Y TELLEZ

ANVERS
APUD GEORGIVM GALLETUM
M DCCIII



Reverendo admodum ac Nobilissimo Viro

D. HIERONYMO
DE LANGUENMANTEL,

Canonico Augustano,

JOANNES HARDUINUS,

Societatis JESU Presbyter,

S. P. D.

AUREUM opus de *Doctrina Temporum*, Viri celeberrimi P. DIONYSII PETAVII e Societate nostra, prius didicimus novis iterum typis recudi, quam ad te, Vir Nobilissime, ejus rei fama pervenit; ut ex illius nota diei intelligimus, quam proximis adposuisti litteris. Et gavisi sumus profecto vehementer, cum id consilii suscepisse D. GEORGIUM GALLETUM, accepimus: & nostram quoque in ea editione promovenda ac locupletanda operam, quam flagitabant, quamvis tenuem, libentissime quidem contulimus. Emendationes multas nimirum, & additamenta plurima, quæ se habere dicerent illi descripta ab homine erudito, ex aliquo exemplari quod esset ab ipso Patre PETAVIO recognitum, emendatum, auctum; cum illo diligentissime contulimus, quod in Bibliotheca nostra Parisiensi asservatur, ejusdem doctissimi Scriptoris manu plurimis sane istiusmodi additamentis & emendationibus locupletatum; neque discrepare vel una litterula illas ab istis animadvertimus, & testati sumus. An enimvero æquum fuit, cum homines etiam exteri promovenda celebritati tanti Viri, nulli propterea parentes sumptui, summopere adlaborarent, nos ad eam rem non illud quantumcumque est laboris conferre; cum de eo homine præsertim agatur, qui clarissimum Societatis nostræ, & Collegii hujus ipsius, in quo degimus, lumen fuit olim? Itaque quamvis fuerit istud quondam opus summo omnium eruditorum plausu exceptum; nunc cum multo sit idem emendatius proditurum, longe certe acceptius orbi literato fore sensimus, & gavisi ea re vehementer sumus. Nam si cui pretium operi diligentia facit & cura scriptoris, in Chronologicis certe rebus præsertim; in quibus & numerus annorum vel mensium ac dierum, qui præpostere positus fuerit, si probe restituitur, lucem orationi magnam affert; & ex novis Animadversionibus Auctoris eruditi temporum ratio, qualem instituit, egregie confirmatur. Meminimus certe ab eruditis hominibus prolatum istud de hoc Opere Petaviano iudicium; Cum multa eruditissime ac perpolitio orationis genere de quolibet ferre argumento Petavius non scriberet, ceteris quidem operibus ejus ex tanto nomine famam & dignationem accessisse; at Opus istud de *Doctrina Temporum* prius ipsi Auctoris sui PETAVII nomini famam confecisse.

Quod igitur de libri illius editione, quæ nova paratur Amstelodami, nobis & nostræ Societati gratularis, Vir Erudite, gratiam habemus. Quod vero in eodem opere aliter ipsum dicis de LXX hebdomadibus Danielis statuere, quam nos ante annos quinque in Chronologia Veteris Testamenti statuimus; nec tibi tamen ipsi satisfacere, quis istud

porro

011946

P R Æ F A T I O.

porro miretur; cum ante ipsum triginta & eo amplius diversæ interpretationes istius vaticinii prodierint; partim a Catholicis scriptoribus, partim ab aliis excogitata; quarum adhuc nulla erudito alicui viro fecerit satis? Neque vero ex eorum numero summus ille Vir fuit, qui quod de re aliqua statuunt, velut ex tripode pronuntiant, jubentque satis pro imperio ceteros in suam concedere sententiam. Nam cum istud ille tractet argumentum libro duodecimo Operis hujus, quinque capitibus; priore quidem nonnulla præmittit dissolvendæ quæstioni necessaria: altero deinde varias expendit super ea sententias: mox Scaligeranam egregie confutat capite tertio: quarto sententiam ipse suam profert, quam modestissime probabilem solum appellat. Vidit enim, ut recte admones, optimi judicii & ingenii Vir, in ea quam iniit calculi ratione non ita esse certa omnia, quæ veluti principia ejusdem poneret, ut minime dubiæ demonstrationis nomine donari eam oporteret.

Rogas autem, utrum adversum nostram interpretationem stilum quispiam exseruerit? Nam vehementer eandem tibi scribis arridere, ex amicitia benevolentiaque erga nos, ut arbitror; multoque magis adhuc placituram adjicis, si plurimi hanc alii similiter approbarint. Unus omnino, quod mirere, inventus est, qui aucupari famam se posse credit obtreactione nostræ interpretationis; atque eam ob rem videri voluit hanc impugnare. Fecit illud autem more suo antiquo tam infeliciter, ut nemo, opinor ex eruditissimis hominibus, qui sunt in hac populosissima civitate plurimi, hanc illius lucubrationem adhuc extare noverit; tamen ante annos tres lucem aspexit. Ea causa fuit, quam obrem confutationem istius opellæ confectam a nobis eo tempore, sub alieno nomine, velut imperfectum opus, cui nec extrema manus accesserit, absconderimus, suppresserimusque, ne emanaret: quoniam scripsisse quemquam hominem adversum nos de eo argumento, ne tenuis quidem aura rumor ad nos perferret. Ut autem perspicias, VIR NOBILISSIME, quanti faciamus quod a te amatur, prolixior licet futura sit ex eo hæc epistola, & instar justi habitura voluminis: quamvis & ex gravi fasciculo vectura pretium tibi solvendum sit ingens: accipe quod hic exscribimus exemplar illius imperfecti ac depererati operis; quod ubi satis erit otii abs re tua tibi pervolvias, & in feriniis deinde tuis inter manuscripta recondas. Intelliges pro tua sagacitate, VIR ERUDITE, nihil hic a nobis fere novi proferri: latius dumtaxat explicari ea, quæ sunt in eo quod laudas opere nostro Chronologico pressius disputata.

P R Æ F A T I O

I N

OPERIS PETAVIANI

D E

DOCTRINA TEMPORUM
ITERATAM EDITIONEM;

*Ubi de ratione totius Operis agitur, proferunturque
animadversiones DAVIDIS BLON-
DELLI & aliorum in Petavium.*



UM Anno MDCC ederetur ingens Opus celeberrimi & doctissimi viri DIONYSII PETAVII, de Dogmatibus Theologicis, jam tum in animo fuit Bibliopæ aliquando etiam recudere viri eruditissimi libros de Doctrina Temporum; si modo vidisset Reipublicæ Litterariæ gratiam esse prioris Operis editionem. Quam cum brevi animadverterit gratissimam fuisse, ex celeris venditione plurimorum exemplarium, quam primum se se comparavit ad Chronologiam elegantius, accuratius & auctius reculam in publicam lucem denuo emittendam; idque consilium perfectum atque ad umbilicum perductum nunc tandem, LECTOR, oculis tuis usurpare potes. Dogmata Theologica iis dumtaxat utilia sunt, qui Theologiæ operam dant, & eam quidem partem Theologiæ excolere cupiunt, quæ veratur in investigandis S. S. Patrum sententiis; qui labor, cum sit magni ingenii, studii & otii, à paucioribus nunc exantatur. Opus est enim iis, qui libros Petavianos de Dogmatibus Theologicis veterum Theologorum cum fructu legere cupiunt, ac de iis iudicium ferre, primum non mediocri cognitione litterarum humaniorum, Latinaque proinde ac Græcæ Linguae; deinde etiam Bibliotheca libris Ecclesiasticis sat instructa, consuetudineque non exigua legendi ejusmodi scripta; cum peritia Theologiæ, prout ex Sacra Scriptura atque ex Scholasticorum libris hauritur, conjuncta. Hæc vero non exiguo tempore, ac labore comparantur, nec possunt cum laude tractari, nisi ab ingenio minime vulgaribus. Quot autem sunt, etiam inter eos qui Litterarum Sacrarum studia profitentur, qui omnibus huic instructi sint, ut par esset ad intelligenda opera Petaviana, iudiciumque de iis ferendum, post accuratum rotas Sacre Antiquitatis examen? sane pauci. Attamen avidè, ut videmus, emuntur, qui omnibus huic cantur. Quod cum ita sit, merito Bibliopæa judicavit Opus hoc Chronologicum à litteratis hominibus coemptum iri. Est enim multò pluribus utile, nec tantum apparatus eruditionis, lectionisque Veterum postulat, ut proficiat. Si quis enim, in Geometricis, Arithmeticeque mediocriter versatus, possit libros Latine scriptos intelligere, nec à Græcis litteris omnino sit alienus, poterit cum maxima sua utilitate Opus hoc evolere. Si quis etiam cupiat veteres Historicos legere, & singula ad sua tempora accuratè referre; quod nisi fiat, obscurissima Historia evadat necesse est; hoc Opere necessario indiget, quod si à capite ad calcem minime perlegat, at certe, prout res feret ac postulat, subinde consulat. In eo vir doctissimus perspicuitatem summam sectatus est, nec poscit sibi nimis eruditum Lectorem dari; quod Jos. Scaligero vitio vertitur, cujus scripta, non nisi ab eruditissimis hominibus intelligi, atque ad examen revocari possunt. Omnia doctissimus Jesuita ab ipsis disciplinæ initiis viâ atque ratione tradidit, sensimque Lectorem à facilibus ad difficiliora duxit. Quin etiam Scaligeri, quem sibi consultandum suscepit, sententias breviter & dilucidius, quam ipse fecerat, passim explicuit. Si quis ergo velit ipsum Scaligerum & conferre cum Petavio, ab hoc ejus adversario non parum adjuvabitur. Quod tamen non ita intelligi velim, quasi Petavio, de Scaligero male sentienti, temerè credi cupiam; neque enim æquum esset infensissimum adversarium solum audiri. Hoc dumtaxat volo, sæpe Scaligeri sententiam ex Petaviana ejus expositione facilius intellectum iri, quam si solus Scaliger legeretur; quia Petavio rem in pauciora contraxit, alienaque omnia circumcidit & hac illic disiecta conjunxit. Itaque hæc lectis, Scaligerana melius intelliguntur ab iis, qui doctissimos adversarios inter se contendere cupiunt; eademque operâ an semper bonâ fide Scaligeri dogmata Petavio exposuerit rescire poterunt.

Verum non opus est à nobis consilium atque utilitatem horum librorum tradi ac prædicari; cum de iis multis egerit ipse Petavio, in Prolegomenis primo Tomo præfixis, quæ brevi tempore legi possunt, & ad ipsum Opus lectores intromittent. Optandum esset, neque enim hoc nobis dissimulandum videtur, vnum doctissimum mitibus de Scaligero sensisse, cui multum sanè debet Reipublica Litteraria, cum ad humaniores litteras, quoad attinet, tum etiam in hac ipsa scientia Chronologica. Sed Scaligeri Patribus Societatis Jesu inimicus vixerat, multaque in eos dixerat, præsertim in Elencho Trihareni Nicolai Serarii, Christophorūque Clavium, ex eadem Societate Mathematicum & Chronologum, vehementer aspernatus erat. Nolo defendere acerbitatem Scaligeri in Jesuitas, sed profectò Jesuitæ homini minime ab eo tempore pepercerunt, Petavioque, inter alios, in eo exagitando nequaquam parvus fuit, ut liquet vel ex Cap. V. Prolegomenorum, atque ex toto hoc Opere. Potuit Scaliger Astronomiæ non usque adeo peritus fuisse; potuit conjecturas suis, plus quam par erat, indulgisse; potuit vacillare in tam variis & tam multiplicibus opinionibus, quibus Chronologia nititur in digestionem annorum variarum gentium; potuit & interdum secum ipse pugitare, memoria vitio ut attentione animi, ex nimis diuturna contentione, tandem remittente; uno verbo omnia ut complectar, potuit multa humanitas pati; sed propterea non minus dignus est laudibus in eum collatis, aut cui gratias etiamnum habeamus; dum modo ab hominis erroribus nobis cavemus, quotquot à Petavio sunt igitur castigati.

Tria sunt potissimum, quæ laudibus Scaligeri detrahi, sine summa iniquitate, non possunt. Primum omnium est, quod neminem habuerit, quem sequeretur, in investiganda tradendâque doctrina temporum; nemo enim ante illum animo complexus erat quæ ille vidit hac disciplina contineri, quod satis liquet, vel ex Cap. IV. Prolegomenorum *Petavii*. Magna ergo ausus est qui, ante alios omnes, rem tantam aggredi iustitiam; nec, si per omnia æquæ felix non fuit, propterea vulgaris ingenii aut doctrinæ homo est habendus. Alterum est quædam ejus esse inventa, quæ, fatente adversario, maximi sunt in rebus Chronologicis momenti, quamvis acerbus nimium censor vix ea tria, aut quatuor esse contendant. Tale est inventum Periodi Julianæ; quo, ut ait ipse *Petavius* initio Lib. IX. in omni Scaligeriana temporum doctrina (potuisset dicere in omnibus omnium Chronologorum reperitis) nihil est melius & utilius. Sic loquitur Libri IX. Cap. I. ejusque præclarissimæ methodi fructus atque usus pluribus exposuit Lib. VII. Cap. VIII. Hac, ut ejus verbis utar, continentur temporum characteres ac notæ certissimæ, quibus à se invicem discernuntur, & sine quibus præne inutilis est omnis Chronologorum labor, molestissimus certe, ac difficultatibus innumeris oblitus; quæ, usu periodi illius ac cyclorum, nullo negotio devitantur. Itaque fatetur *Petavius*, quamquam ferme inventus, *Scaligerum* periodi Julianæ utilitates & commoda, non sine causa, prædicasse; utque reliqua Scaligeri damnat, atque ex omni historia usque reicit: ita artificiosum hunc annorum orbem, utinamque cyclorum magni, pro eo ac debebat, faciebat. Quod postquam factus est; Ergo, inquit, candorem nostrum Lector agnoscat, ac nos intelligat non Scriptoris odio, vel emulatione gloria; sed veritatis amore ductos, in eam doctrinam totius inquisitionem incumbere. Vellem eam candoris professionem in ipsis Prolegomenis legi, & inventi Scaligerani laudes; cum in iis nihil nisi acerbus æquo legatur, quod frontem Operis dehonestat. Vellem etiam ab eo paris momenti inventum cuspium, ex sua Societate, Chronologi, ut suum ipsum probatum. Profecto maxima ejus opera veritas hic est, non in novis quibusdam & à se inventis artis principiis constituendis, sed in evertendis Scaligeranis conjecturis, suisque, sed ex eadem origine deductis, confirmandis. Tertium denique, quod inter *Scaligeri* maximas laudes esse referendum, est ingens illa ac à nemine antea tentata congeries materiæ Chronologicæ, quæ in libris de Emendatione Temporum, laborèque Eusebiano invenitur. Nam ille omnia ferme, quæ apud Scriptores antiquos ac exoticos Hebræos, Græcos, Romanos, Arabas ad rem Chronologicam illustrandam ac constituendam apta leguntur, immenso labore, collegit; unde formam mensium & annorum variarum Gentium, eorum nomina, cyclorūque multiplices, & notas omnes temporum per universam Antiquitatem sparsas, explicare atque expedire conatus est. Non pari felicitate ubique versatus est (neque enim hoc differt) nimirum adæveranter incerta cunctaria ex locis Veterum allatis deduxit. At alius profecto materiam conegit, ex qua, vitis Scaligeranorum adificiorum perspectis, elegantiora & magis ad artis normam exacta excitare illi possent; quod in multis *Petavius* ipse præstitit, qui forte per se numquam ad tot locorum totius Antiquitatis cognitionem pervenisset. Facile enim fuit viro multijugis lætionis nonnulla Scaligeranis testimoniis addere; ac longè difficillimum fuisse omnia primum corradere. Quin etiam error antecedentium eum usum nobis aliquando præstat, ne pariter erremus; nam facilius multò errores alienos, quam nostros, deprehendimus, & sæpe ab errore cavemus, quia ab alio admittimus, in quem aliquo delaberemur incauti. Igitur hinc etiam de causis, decebat *Petavius* gratiori animo erga *Scaligerum* fuisse. Quas si secum reputasset, hæc verba, nigro colore, non atramento, scripta, numquam ex erudito ejus calamo defluxissent. Profecto, inquit, in tot scriptis ab eo Chronologicis libris nihil ferè est, quod momentum aliquod ad rem ullam habeat, quodque reprehensionem effugiat, præter particulam istam, quæ Julianæ Periodi methodum explicavit. Hanc immodicam esse censuram nemo non videt, qui vel aliquot *Scaligeri* paginas legit; vel etiam animadvertit ipsum *Petavius* ex illis ipsis locis, à *Scaligero* conegit, ut plurimum ratiocinari. Nec hoc judicium quod legitur Lib. IX. C. I. satis consentit cum eo quod de eodem *Scaliger* fertur in Prolegomenis Cap. V. Quem (*Scaligerum*) inquit, solerti hominem ingenio præditum, & in iis literis, quas qui obtinent hodie Critici vocantur, hoc est, Grammaticis in studiis, & linguarum varietate, & istiusmodi Scriptorum lætione, cum primis exercitum fuisse fatendum est. Atqui ope ejusmodi studiorum, idoneus factus erat *Scaliger* ad legendos omnis generis Scriptores, atque ex iis coarctanda quæcumque ad rem Chronologicam facerent, quibus & ipse aliquando tam iniquus uteretur adversarius. Sed de acerbitate *Petavii*, *Scaligerique* meritis in Republicam Litterariam hæc dicta sunt; neque enim apologiam pro *Scaliger*, aut castigationem *Petavianæ* acrimonie scribere constitui. Fateor illum sæpe fuisse, ut in conjiciendo, ac divinando præcipitem: sic in affirmando vehementem ac violentum; multaque ab eo adæveranter ac sine cunctatione pronunciata fuisse, in priore editione librorum de Emendatione Temporum, quibus postea damnatis ac rescissis, contraria omnia, in posteriore editione, pari fiducia decrevit. Qua in re, venia indiget, non laude dignus est; si præsertim posteriora, quod contendit *Petavius*, prioribus meliora non fuerint. Laudandus vero idem ille *Scaligeri* censor, quod in Chronologicis controversiis hoc satis habuit, ut si minùs, pro rerum obscuritate, comperti explorati- que aliquid afferre possit, dubia, saltem, vel opinabilia discerneret à certis, demonstrationèque constantibus; nec plus unicuique firmitatis tribueret, ac fidei, quam earum, quibus est innixa, probationum conditio pateretur. Quod si non ubique, certe frequentius quam adversarius præstitit.

Nunc aperendum est quid in hac editione Lector inventurus sit, quo fiet ut longè eam priori, quæ Lutetiæ anno MDCXXVII prodit, præferat. Non memorabo elegantiam chartæ, aut typorum, quæ in oculis omnium incur- runt; sed primum dicam ex hoc exemplari diligenter sublata esse menda, quæcumque ad calcem operis notatæ *Petavii*; & præterea ampla illa additamenta, quæ utriusque de Doctrina Temporum volumini subjuncta erant, omnia suis locis, prout cupiebat Auctor, inserta fuisse; ita ut nunc commodè legi possint, & legentibus usui esse. Quis enim alioqui, dum opus ejusmodi legit, cogitat de additamentis, aut lætionem suam arripit, ut quærat, num quid sit additum in calce Operis? Quam in rem, non possum reticere incuriam eorum, qui in primo Antiquitatum Romanarum Tomo ediderunt, ex prava editione, Caroli Sigonii opus de jure Civium Romanorum: nec animadvertent auctorem exulare ejus operis editionem, nisi jam edito volumine, quamobrem coacti sunt ad calcem addenda ex collatione editionum subicere. Quis verò, dum legit *Sigonium*, potest subinde ad finem voluminis se conferre, ne quid inter legendum omittat, aut, perlecto opere, non doleat sibi illa, quæ ad calcem videt, suo loco non occurrere? Qui gloriam ex editione tot alienorum operum sibi quærebant, eos in iis terendis exercitioris esse profectò oportuisset. Ut vara vibiam sequitur, ecce tibi alium, qui, in Antiquitatum Græcarum octavo volumine, edidit *Petri Fabri* Agonisticum, & ad calcem Paralipomena suis locis inserenda, ut in prima editione. Quorum culpa hæc contigerint nec satis scio, nec fere laboro; sed profectò, non sine summa cuspiam negligentia, talia admittit sunt; quæ si quis alius admittisset, à superciliosis Criticis pipio differretur. Sed redeamus ad *Petavius*.

Præter additamenta illa jam edita, emendationesque errorum, accepit Bibliopola; à Jesuita Parisiensi, alias additiones, ac correctiones *Petavii* ipsius manu oræ exemplaris, quo usus fuerat, additas; quas videt hic sub ima pagina, ut suis locis intelligere possit Lector quid præterea in præclaro opere emendari, aut addi vellet *Petavius*. Ex his colligere poterit Lector, in ejusmodi opera, in quibus tam multiplex est rerum varietas, tam frequentes ratiocinationes, calculorūque subductiones sunt, errores aut Typothetarum, aut etiam ipsorum auctorum, vel felsinantium, vel non satis attentorum, vel denique labore defessorum facile irrepere posse; ac proinde non tam acerbas esse oportere castigationes eorum, qui in talia ab aliis admittit, aliquando incident, deprehenduntque communis humanitatis indicia. Ipse *Petavius* non is erat, ut testatur Prolegomenorum Cap. V. qui errare quæpiam in tractandis litteris nefas existimaret. Indignus, se iudice, fuisset non earum modò communionem, sed naturæ insuper & humanitatis ipsius, nisi quantumque doctorum hominum erratis ignoscendum putasset. Quamobrem sic Lectores erga eum ad-

fectos

fectos esse par est, quamvis ipse fortasse in *Scaligerum* aliosque iniquior fuerit. Si nonnulla sunt, in quibus recentioribus Chronologis Anton. Pagio, Henr. Norisio, Gulielmo Loydio, Henr. Dodwello, aliisque doctissimis & acutissimis viris machatus est. Si quid in eo reprehendimus, id à nobis admitti par non est.

Hæc ergo in duobus de Doctrina Temporum voluminibus præfata sunt. In *Uranologio* verò, quod postea anno ra, ut emendatissimè ex edito exemplari prodiret, & quod hujus editionis tertium est volumen, data est ope- quebantur Scriptores Græcos, quibus hic tomus inchoatur, sunt, ut par erat, singulæ subjectæ locis, quos illustra- bant, quod multò commodius est.

Quia verò viro doctissimo concertatio fuerat Chronologica, de anno Synodi Sirmiensis, cum Jacobo Sirmundo, ejus- dem Societatis Sacerdote; Scripta utriusque, cum brevitas essent, quamvis jam in collectione Parisiensi Operum *Sir- mondi* edita, recudenda visa sunt, ut hic haberet Lector quæcumque ad rem Chronologicam illustrandam à *Petavio* scripta sunt; excepto tantum *Rationario Temporum*, quod sæpius Lutetiæ & alibi extra Galliam editum non visum est recudendum. At iterum edendæ visæ sunt Epistolæ *Petavianæ*, in quibus multa sunt Chronologica & Astronomica, commodiorem, prioribusque familiarior additus redderent. Sed cum essent conjunctæ omnes Epistolæ dedicatioræ *Petavii*, ex resecta sunt quæ in sex magnis Voluminibus jam editæ fuerant.

Tria præterea Opuscula *Petavii*, minimè Chronologica, hic addita sunt; ea tantum de causa, quod in editione nu- pera Dogmatum Theologicorum omittenda fuissent, quia Bibliopola fat citò ea nancisci non potuerat. Ea sunt libri de *Lege & Gratia*, *Elenchus Theriac Vincemii Lemis*, & libellus de adjutorio sine quo non & adjutorio quo. Scripti sunt post primum edita Theologica Dogmata, cum in Gallia summâ contentione de Janfenismo certaretur. Itaque qui- cumque Dogmata emerunt rectè facient, si hoc quoque opus sibi comparent, quod si habuerint, nihil sibi deore- fiant Operum Theologicorum *Diomijii Petavii*; quibus alioquin hæc deessent. Ad opera poetica quod attinet, Orati- onèque *Petavianas*, ea nec rara sunt, nec tanti momenti, ut propterea novum volumen conflaretur. Qui talia læti- tant homines denum sunt; qui otio valde abundant. Scripta verò ejus critica, sive notæ in varios Scriptores, exstant cum iis Scripturibus, quos illustrandos susceperat *Petavius*; ad calcem, nempe, *Epiphani*, *Synesi*, *Themistii*, & *Juliani*. Est & *Epiphani* subjuncta Appendix *Petavii*, quarum altera est adversus *Martinum Simonium*, altera ad- versus *Claudium Salmasium*. Sunt quoque notæ in *Julianum* additæ, in editione Parisiensi, *Miscelle* ejusdem *Exercitiorum*, contra posteriorem adversariorum, quorum nomina modò à nobis prolata sunt. Hæc omnia ferme iterum edita sunt, magna quidem ex parte, cum in Gallia, tum extra Galliam. Sed de iis, in hac Præfatione Operum Chronologicorum, non agemus. *Petavius* judicavit *Scaligerum*, si fe genere scriptorum Grammaticarum continuisset, me- lius exificationi suæ consulitur fuisse. Sed profectò *Salmasius*, etiam in Grammaticis operibus, mucronem *Petaviani* calami vitæ non potuit; quo ita vulneratus est, ut, si credimus *Petavio*, non modò ab insectandis aliis continere stitum sum, sed à scribendo abstinere in omni vita deberet. Hi sunt amari fructus nimii contendendi studii, quo tota *Petavii* vita occupata fuit. Sed hæc nihil ad nos.

Hoc unum monendum superest, huic Editioni præfixam Dissertationem Chronologicam, de LXX. Danielis Hebdomadibus, pro docto viro *Johne Harduino* Jesuita, contra virum itidem eruditum *Bernardum Lami*, Congrega- tionis Oratorii Presbyterum, qui in Apparatu Chronologico in Harmoniam Evangelicam cum confutaverat. Hæc quidem Dissertatio nihil ad *Petavius*, sed tamen cum sit Chronologica, scriptaque à *Petavii* discipulo, quamvis ab illo dissentiat, hic addita est, ne periret. Eam legent, aut prætermittere Lectores, prout videbitur.

Hæc fuit, quæ in hac Editione Chronologica *Petavianæ* observatu digna erant, nec esset cur hic quidquam præ- terea adderemus, nisi nacti essemus Exemplar Operis de Doctrina Temporum, qui olim fuit *Davidis Blondelli*, viri doctissimi, & quem *Petavius* olim vehementer oppugnavit, in libris de Hierarchia. In eo ergo Codice varia, manu suâ, & tenuissimo caractere, que oculorum aciem ferme fugit, adscripserat *Blondellus*; quæ, qualicumque sint, publici, hac datâ occasione, juris facere constituimus. Sunt sanè quedam minimè spernenda, quæ utinam latius vir eruditissimus diduxisset! Utiores sanè essent, & facilius intelligerentur. Non semel liquido ostendit *Petavius* ad quoddam annos retulisse, quæ ad alios pertinebant; quævis ceteroquin omnes animadvertiones præstare nolimus, cum præsertim eas, non ut ederentur, sed in usus privatos scripsisset. Verum ea, qualia erant, tibi, LECTOR, legenda sitimus, plura & copiosiora daturi, si plura haberemus. Ad priorem Tomum nihil notavit, sed tantum ad poste- riorum.

Ad calcem Cap. XXXV. Lib. IX.

Reges Assyrii, qui post eversionem Sardanapali ab Ar- bace Medo (Per Jul. 3838. Ante Chr. 876) rerum potiti sunt in urbe Ninive de integro instaurata.

Pbil.

Teglab-pbalasar.

Salmanassar.

Sennacherib Salmanassaris Filius

Assarhaddon Sennacheribi Filius.

Paullo ante primam Olympiadem, quæ incidit in an- num Per. Julianæ 3938. ante Christum 771. illos iniuste conjectura est *Petavii*, & ad annos præter propter 70. simul floruisse ac postremò à Medo Cyaxare superatos, & paullo post à Babylonio Nabuchodonosore funditus deletos, cum urbe Ninive. *Blondellus*.

Ad Lib. XI. C. 32. in verba Idatii, quæ occurrunt p. 192. col. 1. Carinus Margus &c.

Sic legit Notitia Imperii Orientalis in duce primæ Mæ- sæ. *Blondellus*.

Ad ejusdem Lib. Cap. XXXIV. p. 194. col. 1. ubi *Petavius* de Apphiano anno secundo persecutionis, Apphianus insigne Martyrium obiit.

Martyrium fecit anno Domini CCCVIII. Aprilis 2. Feriâ 6. Cyclo Solari IX. D. C. Lunæ. 5. Epaçt. 21. deuterias circa Christiavon genovivno iππαρασάσας υπό Μαξιμίνο: cum secundum contra Christianos infurresset Maximinus. Pertinent itaque hæc ad secundam persecutionem, non ad primam, ut *Petavius* volebat. *Blondellus*.

Ad Cap. XXXVII. p. 196. col. 1. ad hæc verba: Annus enim Diocletiani XIX. &c.

Cæpit annus XIX. Diocletiani A. D. ccc11. Septem- pris 17. Salutatus enim Augustus A. D. cccxxiv. 17. Sep- tembris. Decimo postea die, Nicomediam purpuratus in- travit. Cum igitur annus primus persecutionis, currente XIX. Diocletiani anno, cæperit, factumque fuisse perfec- tionis initium circa Pascha memoret *Eusebius*, dicendum annum Domini CCCIII. primum persecutionis fuisse. *Blondellus*.

Paullo post ad hæc verba *Petavii*: Neque quemquam inve- nias, qui ante hunc annum aut Constantii mortem, aut Con- stantini primordium collocarit.

Invenio in Chronico Alexandrino scriptorem, ex cujus sententia Constantius (quem Indiçt. XII. Diocletiani Aug. V. & Maximiano IV. Coss. Cæsarem salutatum vult) εν- τη 17. ἀπὸ Πάσχα, post annos XIII. mortuus est; initio factò ab A. D. CCXCIII. 21. Maii ad A. D. CCCV. Julii 25. Secundo, Constantinus βασιλεύσας εν τη 24. μηνος 1. reg- navit annos XXXI. μηνος 10. Tertio, Constantinus Ind. IX. ὄχιεν συμβασιλευσέντας αὐτῷ Κωνσταντῖνον, Γαλιεῖνον, &c. & τὸν μὲν Κωνσταντῖνον καὶ Σευῖνον δασὸς τῆς βασιλείας αὐτῶν: habuit secum regnantes Constantium, Galerium &c. Constantium quidem & Severum participes ejus regni. *Blondellus*.

Ad secundum *Petavii* argumentum de anno mortis Con- stantii.

Hoc argumentum infirmum esse docui. *Blondellus*.

Ad Cap. XXXVIII. ad verba Victoris. p. 196. col. 2.

Ab anno CCCXXIV. quo cæsus Licinius senior.

Blondellus.

Ad verba Epitomes: duodecim sequentibus latro &c. Ab

anno CCCXXVI. quo Crispus & Licinius junior cæsi sunt. Blondellus.

Ad Cap. XLII. pag. 200. col. 2. ad hæc verba: post consulatum Flavii &c.

Lege: Consulatum Zenonis, non, post Consulatum Zenonis, anno enim post Consulatum Zenonis convenit A. D. CCCXXIX. Asterio & Protogene Coll. Ind. 2. Blondellus.

Pag. 201. col. 1. ad citationem Eligii.

Eligii sermones spurii sunt, maxima ex parte. Blondellus.

Ad Cap. LVI. p. 216. Col. 2. sed legendum Maii XXXIX.

Lege Mai XVIII. feriâ. 3. A. D. MCCCCLIII.

Æneas Sylvius Dial. Blondellus.

Ad Lib. XII. Cap. VIII. pag. 231. lin. 20. quam ordinariis.

Lege: tam extraordinariis, quam ordinariis. Blondellus.

Mendum est, quod cum à Petavio adnotatum non fuisset, neque in erratis editis ad calcem operis, neque in iis que ora codicis postea addidit, hic remansit.

Ad Cap. XV. pag. 240. col. 2. ad citationem Apollinariis à Petro.

Petrus passus A. D. CCCXI. Apollinaris post A. D. cccclxxxi. decessit. Blondellus.

Ad Cap. XL. p. 174.

Jac. Cappellus A. D. LXVIIII. Joann. Georgius Herwart

Consulares Onofrii factos inoffenso ab obitu Neronis, ad I. annum Probi, sive A. D. CCLXXVII. pede decurrere ait, ac deinde Neronem periisse anno Dionysiano LXVIII.

Cyclo Solis 21. Lunæ 12. quod arte est indubitatum.

Sed cum veteres omnes, recentioresque eximie notæ Scriptores (quorum vix iniri potest numerus) uno ore doceant Neronem periisse anno LIV. post Augustum; cūque in Consulatum hujus intervalli ferie, nemo hæcenus vitium ullum irrepisse sit suspicatus, Georgius contendit quique Consulatum paria detrahenda esse, & Augustum, non anno LIV. sed XLIX. ante Neronem obiisse ut XIX. Æræ Dionysianæ anno, Cycli solis ultimo, Lunæ primo. Sed, Suetonium, Tacitum, Dionem, alioque optime notæ Scriptores omittam, quia in celestibus observationibus omnes spes suas repositas habet Georgius, ecce præter Historicorum consensum, ad stipulantes quatuor Eclipses habemus; in morte Augusti, in passione Domini, Claudii V. Neronis V. præter alios, eosque non paucos caracterimos, quibus Passorum Consulatum feriem communivimus, inde ab ipsa U. C. maxime verò ab anno U. C. cccclxvi. Blondellus.

Ad Lib. XIII. an. Periodi Juliana 3711. ubi de adificatione Templi Salomonis.

Octobris 1. Sic stetit annis CCCXXIV. mensibus 9. diebus 20. Blondellus.

Ad an. P. 7. 4118. Olymp. XLVI, 1. Polymnestor Milesius ob velocitatem meruit coronam. Solinus Cap. 1. Blondellus.

Ad an. P. 7. 4199. quo Templum absolutum dicitur.

Stetit annis DLXXXIV. mensibus 4. diebus 26. Blondellus.

Ad A. C. XXX.

Petrus. MS. Trevir. Blondellus.

Catalogus fuit veterum Episcoporum Romanorum ad annum CCCLII. ex quo notamus que diversa à Petavio exscriptis vir diligentissimus, reliquis omisiss.

Ad A. C. LVI.

Linus. MS. Trevir. Blondellus.

Ad A. C. LXV.

Petri martyrium. MS. Trevir. Blondellus.

Ad A. C. LXVII.

Lini obitus. MS. Trevir. Blondellus.

Ad A. C. LXVIII.

Clemens. Ibidem. Blondellus.

Ad A. C. LXXXV.

Clementis obitus. Blondellus.

Ad A. C. LXXXVII.

Cletus. Blondellus.

Ad A. C. LXXXVIII.

Cleti obitus. Blondellus.

Ad A. C. LXXXIV.

Anacletus. Blondellus.

Ad A. C. XCV.

Anacleti obitus. Blondellus.

Ad A. C. XCVI.

Aristus. Blondellus.

Ad A. C. CVIII.

Aristi obitus. Blondellus.

Ad A. C. CIX.

Alexander. Blondellus.

Ad A. C. CXVI.

Alexandri obitus. Blondellus.

Ad A. C. CXVII.

Sixtus. Blondellus.

Ad A. C. CXXVI.

Sixti obitus. Blondellus.

Ad A. C. CXXVII.

Telephorus. Blondellus.

Ad A. C. CXXVII.

Telephori obitus. Blondellus.

Ad A. C. CXLVI.

Pius. Blondellus.

Ad A. C. CL.

Hyginus. Blondellus.

Ad A. C. CLIII.

Hygini mors. Blondellus.

Ad A. C. CLXI.

Pii mors. Blondellus.

Ad A. C. CLXXI.

Soter. Blondellus.

Ad A. C. CLXXXV.

Eleutherii obitus. Blondellus.

Ad A. C. CLXXXVI.

Victor. Blondellus.

Ad A. C. CXCIII. ad verba: mensibus 2. diebus 28.

Diebus LXXXVII. die Martii 28. Blondellus.

Ad verba, mensis 2. dies 5.

Diebus LXVI. die Junii 2. Blondellus.

Ad A. C. CXCIV.

Victor decessit. Blondellus.

Ad A. C. CXCVIII.

Zephyrini primus. Blondellus.

Ad A. C. CCXVII.

Zephyrini obitus. Blondellus.

Ad A. C. CCXXVII.

Callistus. Blondellus.

Ad A. C. CCXXII.

Callisti obitus. Blondellus.

Ad A. C. CCXXXIII.

Urbanus. Blondellus.

Ad A. C. CCXXX.

Urbani obitus. Blondellus.

Ad A. C. CCXXXI.

Pontianus. Blondellus.

Ad A. C. CCXXXV.

Pontiani depositio. Anterus. Blondellus.

Ad A. C. CCXXXVI.

Anteri obitus. Fabianus. Blondellus.

Ad A. C. CCL.

Fabiani martyrium. Blondellus.

Ad A. C. CCLI.

Cornelius. Blondellus.

Ad A. C. CCLII.

Corneli Martyrium. Septembris 14. coronatus Cornelius feriâ 2. successit Lucius die 35. Octobris 18. feriâ 1. Blondellus.

Ad A. C. CCLIII.

Stephanus. Tum ad A. CCLIV. Stephani & Lucii obitus.

Martyr Lucius Martii IV, feriâ 7. Successit Stephanus Aprilis IX. feria 1. Deinde ad annum CCLV. iterum notat, Lucium Papam martyrio coronatum anno CCLIV. Blondellus.

Ad A. C. CCLVI.

Sixtus II. Blondellus.

Ibid. ad id quod de Mariano dicitur Arelateni, adscripti: Fabula.

Ad A. C. CCLVIII.

Sixti Mors. Blondellus.

Ad A. C. CCLIX.

Dionysius. Blondellus. Tum ad id quod dicitur de morte Xysti, aut Sixti? pertinet ad A. D. CCLVIII. Vide Cyprianum Epist. LXXXII. Ed. Pamelianæ. Keitè. Vide Annales Cyprianicos Pearsonii.

Ad A. C. CCLXI. ubi Petavus dixit Dionysium Episcopum

copiam Alexandrinum adversus Paulum Samosatenum scripsisse: Imò adversus Sabellium. Vide Athanasium. Nihil verius, memoria Petavium fessit. Vide Epistolam Athanasii de sententia Dionysii Alexandrini, Tom. I. Ed. Benedictinorum p. 243.

Ad A. C. CCLXXIX.

Dionysius obit. Felix I. Blondellus.

Ad A. C. CCLXXIV.

Felicis I. mors. Blondellus.

Ad A. C. CCLXXV.

Eutychianus. Blondellus.

Ad A. C. CCCL. ad ea que de Maximiano Heraclio spectante Cirense, addit: XV. Kalendas Martias; & ad decretum persequendi: pridie Kalendas Martias.

Ad A. C. CCCLVI. ubi dicitur Maxentius initio Christianam Religionem simulasse, adscripti Blondellus: imò ad finem. Deinde ad id quod de Cæciliano narratur: A. D. CCCXI. Verè, ut ostendunt qui Historiam Donatistarum postea scripserunt, Henr. Valesius ad calcem Eusebii, Benedictini in Prefatione Tomi IX Augustini, Lud. Ellic du Pin, in Historia Donatistarum præfixa Optato.

Ad A. C. CCCVIII.

Marcellus. Blondellus.

Ad A. C. CCCIX. ad creationis Eusebii tempus: imò hoc anno Maii 29. feriâ 1. creatus. Tum persecutionem, de qua postea, refert ad annum CCCXII.

Ad A. C. CCCX.

Sedes Vacat. Tum Martyrium Petri Alexandrini refert ad annum CCCXI. Verè. Vide vitam Athanasii præfixam Edit. Benedictinorum.

Ad A. C. CCCXI.

Miltiades. Blondellus. Postea gestis hujus anni addit: Alexander Africa vicarius debellatus; & Cæcilianus creatus. De quo vide ad ann. CCCVI. Ad A. C. CCCXIV. ad hæc verba: Aberat enim tum Constantinus: non aberat, teste Eusebio.

Ad rescriptum Constantini de sententiis Episcoporum, ita Blondellus: Pertinet ad A. D. CCCXXI. datum est enim Constantinopoli, que edificari cepit anno CCCXXVIII. Vera est viri doctissimi animadversio, sed Jac. Gothofredus fiam hæc esse Constantini legem, ad Calcem Codicis Theodosiani ait. Ad A. C. CCCXV. ubi de prælio Martiensi, notat ejus tempus his verbis: In Thracia Julii 3. anno Domini CCCXV.

Ad A. C. CCCXIX. ubi de Alexandrinis turbis: Anno CCCXXIV. quo tempore Nicomedia erat. Verè, Vide vitam Athanasii ad hunc annum.

Citat postea Petavus Socratem Cap. VI. ubi rectè adnotavit Blondellus: Cap. IX. sub finem.

Ad id quod de Gangrensi Synodo dicitur: post, annis XVIII, aut XX.

In iis que de Paulino dicuntur, delet: sive Paulus, additque: Tyro translatus. Eusebii adversus Marcellum.

Ad gesta anni CCCXX. addit Constantius natus. Marcellinus Lib. XXI.

Ad gesta anni CCCXXIII, adjicit: Constantius natus. Sex. Aurelius Victor.

Ad A. C. CCCXXIV. ubi de repressis Gothis: imò, inquit, anno præcedente, nam rem eam non interponit Sex. Aurelius Victor, inter Cesareatum Crispi & bellum ultimum cum Licinio, atqui creatus Cæsar Crispus A. D. CCCXXVII. Martii Kalendis.

Ad citationem Idatii, de pugna cum Licinio: videtur, inquit, duas pugnas confudisse Idatii. Quæ enim facta Julii 3. in annum CCCXV. conferenda est. Vide Cod. Theodos. p. 160.

Ad citationem Eusebii de Vita Const. Lib. III. c. 57. Malè, inquit, que enim refert Eusebius ad Eufathii depositionem pertinet. Tum ad ea que habentur de Eufathii ordinatione: ab omnibus, inquit, vocatus fuerat communi studio. Vide Theodoretum.

Ad A. C. CCCXL. ubi de depositione Eufathii: Id contigit videtur, sub Constantino Magno. Socrates Lib. I. c. 23 & 24. Eusebius Lib. III. de vita Constantini c. 57. & seqq. ad 60. Theodoretus Lib. I. c. 21. & 22. Sozomonus Lib. II. c. 18. Nicephorus Lib. VIII. c. 45. Sedebat jam Flaccillus anno D. CCCXXXV. præfedit enim Synodo Tyria, apud Athanas. contest. Eremit. Ægypti & Epist. Dionysii Comitibus. Vide & Secretam Lib. II. c. 9. Blondellus,

Ad A. C. CCCLII.

Ad hunc annum adscripti Blondellus: Huc usque MS. Trevir. Sed ex eo tempora postremorum Episcoporum non adnotavimus, quia consentiebant cum Petavio.

Ad A. C. CCCLIV. quo natus dicitur Augustinus.

Imò A. D. CCCLVI. Vide Confessiones Lib. IX. c. II.

Ad A. C. CCCLV. de exilio Hilarii, Imò ante. Hieron. in Catalogo. Blondellus.

Ad A. C. CCCLXXXVIII. de seditione Antiochena.

Contigit A. D. CCCLXXXVII. Arcadii V. in Quadragesima, quæ Martii 10. iniiit. Vide Chrysostomum Orat. III. p. 14. Libanum T. II. p. 526.

Ad A. C. CCCXCIV. ad secessum Paulini.

Ordinatus Barcinone à Lampio Episcopo A. D. 393. Decemb. 21. Fer. 5. Ep. VI. ad Severum. Blondellus.

Ad A. C. CCCXCV. de nuptiis Arcadii.

Videntur potius factæ A. D. CCCXCVI. Aprilis 27. feriâ 1. Blondellus.

Ad A. C. CCCLVI. de annis vite Chrysostomi.

Vixit annis (non LII) sed LVIII. natus A. D. CCCLIX. Blondellus.

Ad A. C. CCCXCIV. de Ataulpho.

Placidium duxit Ataulphus, mensè Januario, Narbone. Blondellus.

Ad A. C. CCCXCI. de Anastasi evectioe ad Imperium.

Aprilis 7. Feriâ 1. majoris hebdomadis. Blondellus.

Ad A. C. CCCXCI. de inauguratione Anastasi ex calculo Theophrasti.

Vult Blondellus sic calculos subdaci: Chronicon Alexandrinum feriâ 1 (non V) majoris hebdomadæ dumtaxat id factum refert; quæ hoc anno incidit in Aprilis VII (non XVIII) nam Pascha contigit Aprilis XIV (non XXI) Adjicit Chronicon annum hunc esse $\chi\theta\mu\alpha\tau\iota\sigma\upsilon\ \tau\omega\ \lambda\alpha\tau\iota\sigma\tau\iota\sigma\upsilon\ 539.$ (non 537.)

Ad A. C. DXVIII. ubi narratur fuga Severi, & dicitur facta Antiocheno anno DLXVII.

Interpretatur Blondellus, A. D. 519.

Ad Epistolam Proterii pag. 497.

Scripta est A. D. CCCLIV. & verâ à Dionysio Exiguo, cuius vide Epist. 1. sub finem.

Col. 1. Quæ scripta tua sanctitatis acceperis] Lege, quia.

Col. 2. In solennitate suava paschalis] Anni Domini CCCCLV.

Octogesimo nono & nonagesimo tertio] A. D. CCCLXXXIII. & CCCLXXXVII.

Anastasio] L. Athanasio, qui obiit A. D. CCCLXXII. Maii 2.

Centesimo quoque tertio] A. D. CCCLXXXVII.

Centesimo sexagesimo.] A. D. CCCCLXIV.

Ducentesimo quinquagesimo anno] Estet A. D. DXXXIV. sed lege centesimo septuagesimo primo, hoc est, anno CCCCLV.

Pag. 498. col. 1. In futuro CCLXV anno] Lege CXCVIII, hoc est, A. D. CCCLXXXII.

Illud etiam oportet attendere &c.] Vide Bedam de temporatione Cap. XXXIII.

Ad Epist. 1. Dionysii p. 498.

Scripta est A. D. DXXV. Ind. 4. Probrino & Philoxeno Coll.

Col. 2. Centum annorum cursum.] Ab anno CCCLXXX ad CCCCLXXX.

Ad Epist. II. Dionysii p. 499.

Scripta est A. D. DXXVI Ind. 4. Olybrio Cos.

Pag. 500. col. 2. Ut in cæteris sed XII] Lege: ut in cæteris annis fieri solet, sed.

Anno decemvovennali] Anno DXXXI.

Ad Prologum Cyrilli p. 502.

Col. 2. Totius orbis Synodi consolatione decretum est] Lege, consultatione. Partem custodissent] Lege, partes. CCCXXVII. annorum circulum] Imò annorum c.

Pag. 503. col. 1. Illius parvitate, qui dictus est] Lege, parvitate.

Ad Epist. S. Cyrilli

Col. 2. Per horum laorem] Harum, hoc est, litterarum. Quæ & in Ecclesiastica &c] Quod—invenietis.

Mandamus vobis IX Kal.] Nunciamus vobis XII. Kalendar.

Ad Epistolam Hilari p. 504. A. D. CCCLVI aut CCCLVII.